

**TUMORIS COLLOIDIS
CASUS SINGULARIS.**



**DISSERTATIO INAUGURALIS
ANATOMICO-PATHOLOGICA**

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARUM CÆSAREA

DORPATENSI

AD GRADUM

DOCTORIS MEDICINÆ

RITE ADIPISCENDUM

LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

Petrus Gähtgens.



DORPATI LIVONORUM.

TYPIS VIDUAE J. C. SCHÜNMANNI ET C. MATTHESENI.

MDCCCLIII.

I m p r i m a t u r

haec dissertatio ea conditione, ut, simulac typis fuerit excusa, quinque ejus exempla tradantur collegio ad libros explorandos constituto.

Dorpati Livon. die 10. mens. Aug. a. 1853.

Dr. Reichert,

ord. med. h. t. Decanus.

D 17850

Prooemium.

Ineunte hoc anno ex nosocomio publico hujus urbis aedibus pathologicis nostrae universitatis traditum est praeparatum pathologicum, quod ex corpore militis missicii quinquagenarii satis robusti, paucis diebus ex pneumonia mortui, exemptum erat. Idem praeparatum nomine processus vermiformis significaverant, cujus foramen, quocum intestino coeco cohaerebat, omnino oclusum, cujus lumen magnopere amplificatum, cujusque cavum massa quadam granosa, pulvi Coëcis, quam Sago vocant, simili repletum esset. Additus etiam erat tumor magnitudinis juglandis, qui ex petiolo tenui pendens, saccum oclusum, massa consimili granosa gelatinosa repletum, praebat. Is tumor, ex regione annuli inguinalis interni exsectus, introrsus in cavum abdominis libere pertinuerat. Aliis corporis locis ejusmodi productiones non erant con-

spectae, neque ullam praeter pneumoniae vestigia abnormitatem aliam cadaver obtulerat.

Confecto sub idem tempus examine rigoroso, quum a *Biddero*, professore doctissimo, petivissem, ut argumentum mihi ad scribendam commentationem idoneum proponeret, idem ille vir, qua est officiosa humanitate, producta pathologica, quae supra commemoravi, disquirenda mihi et examinanda tradidit.

Quum igitur his paucis pagellis ea, quae ex disquisitionibus meis coacta sunt, in medium proferam, non possum simul, quin *Biddero* professori, qui omni tempore consilio ac re libenter me adjuvit, gratias quam maximas agam. Neque minor habenda est gratia viro cl. *Schmidt*, professori doctissimo, qui tumores, quos dixi, ratione chemica exploravit.

Caput primum.

Descriptio tumoris.

Quo graviore constabat in processu vermiculari mutationes existere debuisse, quae eum tantopere extenderent ejusque contenta adeo insolita redderent, ut modo memoravi, eo magis visum est necessarium, ut, quantumvis sectionem omni diligentia et cautione susceptam esse confiderem, quam maxime tamen mihi persuaderetur, re vera esse processum vermicularem, neque autem tumorem folliculosum, intestinis adhaerentem, de quo ageretur. At mox patuit, praeparatum, quod ad manus jacebat, nihil aliud nisi processum vermicularem, omnemque igitur de ea re dubitationem prorsus irritam esse. Nam non modo frustum intestinale adhaerens ex membrana ejus mucosa, villis vacua, glandulis Lieberkuchnianis confertim obsita, in qua folliculi solitarii, nudis jam oculis conspicui, siti erant, haud dubie intestinum caecum esse cognosci poterat, sed idem etiam processus vermicularis tegumento laevi, peritonaei plane simili, extrinsecus obductus erat, sub eoque stratum apparebat musculare, ex membrana musculari intestini coeci continuatum, quod, si acido nitrico tractatum fuerat, sub microscopio musculorum lacvium elementa manifesta praebat.

Hoc stratum musculare magis etiam evolutum erat, quam in processu vermiculari esse solet, quippe quod crassitudine 0,5^{mm} par. omne cavum circumdaret. Hinc ergo ambiguum non erat, quin de processu vermiculari intestini crassi ageretur. Communicatio processus vermicularis cum intestino caeco omnino quidem deerat. nec nisi vestigium aliquod, quo illam prius constituisse significabatur, loco quodam reperiri poterat, ubi membrana mucosa intestini caeci cum tela submucosa subjacenti, arcte cohaererat, dum omnibus aliis locis laxius cum eadem cohaerebat.

Membrana mucosa per maximam ejus partem adeo aequabilis et laevis erat, ut ad cultri laminam super illa ductam modo paululum massae cinereae albae adhaeresceret. Quae massa partim ex singulis constabat cellulis epithelialibus cylindricis, partim ex epithelii laciniis, quarum elementa primitiva etiamtum formam naturalem retinebant. Cellulae liberae in medio longitudinem 0,008^{mm}, in fine paulo latiore crassitudinem 0,0025^{mm}, ergo eandam fere cum cellulis epithelialibus normalibus hujusce partis intestinalis magnitudinem habebant. Insolitum id videbatur tantummodo, quod nucleus cellularum parum erat conspicuus, quodque granula minora in illo prorsus deerant, unde fiebat, ut cellulae illae sub forma corpusculorum pellucidorum, vitro simulum, sub adspectum caderent. Sub epithelio situm erat stratum telae conjunctivae, quod a tela consueta neutiquam differebat. Glandularum Lieberkuhianarum, quibus ea pars intestinalis statu normali largissime instructa est, nec non foraminum punctiformium, quibus membrana illius mucosa alias velut obsita videtur, tunc microscopio nec simplici neque composito ullum reperiri poterat vestigium. Neque

magis vero folliculi solitarii, qui in processu vermiculari, alias semper confertim inter se dispositi sunt atque eximia sua magnitudine excellunt, ut jam oculis non armatis satis perspicue objiciantur, ullam sui significationem praebebant.

Haec erat proprietas membranae mucosae, qualis per maximam ejus extensionem conspiciebatur; verumtamen sub finem partis intestinalis locus erat quidam magnitudinis fere pollicis quadrati, ubi membrana illa longe aliam structuram offerebat. Jam nudis oculis membrana mucosa minime velut planities observabatur laevis et aequabilis, sed potius speciem praebat inaequalem, clivosam, atque, si quis cultro eam leviter strinxerat, massam evacuabat, quae contentis cavi, infra describendis, plane similis videbatur. Si quis segmentum, ex ea parte membranae mucosae ad perpendicularum exsectum, microscopio subjecerat, reticulum cernebat fibrarum telae conjunctivae, quod, extrorsum angustiora, introrsum latiora intervalla efficiens, massam illam confinebat. Longitudo processus vermicularis, paulum quidem supra modum normalem adaucta, circiter 3^{mm} aequabat, crassitudo autem ubique fere diametrum 1^{mm} tenebat. Uno aliquo loco parti intestinali diverticulum parvum adhaerebat, in quod membrana et muscularis et mucosa continuatim transibat.

Omne hoc cavum intestinale massa quadam peculiari repletum erat, quae maxima ex parte cum granis Coecis Sago, in aqua turgescit, apto comparari potest. Grana singula, quorum diametrum 0,5—1^{mm} aequabat, partim globosa erant, partim oblonga, coloris ravi, sublutei, plerumque pellucida in modum gelatinae, alia autem in centro locum albidum minus pellucidum ostendebant. Adeo mollia erant,

ut in laminas circulares facile comprimi possent, adeoque simul elastica, ut, pressu sublato, formam pristinam recuperarent. Si vero pressus praeter certum intensitatis gradum continuatus erat, globuli rumpebantur, forma eorum rotunda cedebat, massa margines inducebat irregulares, denticulatos, qui pressu etiam sublato manebant. Hi globuli confertim inter se positi erant, nec nisi exigua iis interjacebat copia medii lubrici jangentis, quod ex elementis primitivis parvis cylindricis atque humore limpido, decolori, subviscido constabat. Praeter globulos, ut implectur cavum, massam adjunxit aequae gelatinosa, quae, etsi ex granulis composita tenuissimis, in particulas tamen separatas non dilabebatur. Haec massa in ipsam membranam mucosam sese continuabat, et eo quidem loco, quem a reliqua membrana mucosa diversum esse supra significavimus. Quamvis plurimi globulorum modo descriptorum, qui parieti intestinali proxime adjacent, nulla ratione organica cum eo cohaerent, nihilo minus tamen in paucis illorum demonstrari poterat ejusmodi connexus, quippe qui petiolo tenui, filiformi, circiter $0,25''$ longo, $0,12''$ lato, efficeretur. Atque nonnullis quoque globulis liberis ejusmodi petiolum tamquam appendiculam subtilem vidi adhaerere.

Si globulus liber, antea compressus, sub microscopio explorabatur, multae apparebant plicae, quae partim regulariter parallelae cum ambitu globulorum externo currebant, partim inter se decussatae a circuitu ad centrum versus pertinebant. Tegumentum vero, quod secundum hanc imaginem involvere globulum videbatur, omnino deerat, quoniam plicae nusquam a materia aliqua contenta distincte terminabantur, etiamsi continuato pressu globulus eo erat reductus,

ut rumpereetur. Quae igitur res non duci poterat nisi ex conspissatione peripherica massae globulum formantis. Alia erat ratio globulorum, qui ope petioli cum pariete intestinali cohaerebant. Petiolus plicas praebat similiter currentes atque quae stratum globulorum periphericum efficiebant; illae enim a membrana mucosa in ipsum petiolum transibant, inde rursus in globulorum peripheriam diffundebant. Pariter sese habebant globuli liberi, qui petiolo libere adhaerenti instructi erant. Massa omnis, quae globulum formabat, ex substantia quadam composita erat fundamentali hyalina, subflava, in qua nuclei varii, modo subrotundi, modo oblongi vel fusiformes, nonnullis plerumque nucleolis praediti, conspici poterant. Qui nuclei tum agminatim erant dispositi, tum, iique maxime nuclei rotundi, massis majoribus substantiae intermediae separati, dum nuclei fusiformes, qui in partibus praecipue periphericis plicatis occurrebant, aequabilibus distributi videbantur. Praeterea in substantia fundamentali eorum potissimum globulorum, qui in medio albidum erant coloris, largior inerat adeps, isque partim guttulas singulas circulares vel particulas rotundas rigidas formabat, partim in cavis amplioribus illius substantiae accumulatus erat. Haec cava ex cellulis pristinis, quaeque illis continebantur, ex cellularum contento mutato exorta esse verisimillimum quidem erat, attamen paries a substantia fundamentali hyalina diversus reperiri non poterat. Denique omnem massam crebra crystallae Cholestearini percurrebant, quae tum singulatim dispersa itum agminatim coaescervata aderant. Mirandum erat, quod, postquam praeparatum aliquamdiu in alcohole situm fuerat, tabulae alicuius rhombicae crystallorum Cholestearini primo ad-

spectu nullae conspici poterant: sed in earum loco fasciculi corpusculorum oblongorum apparebant, quorum alia in modum mergitur frumentariam, alia sub forma stellarum propius inter se disposita erant. Qui fasciculi omnino imaginem crystallorum acidi Margarinici praebebant. At accuratiore disquisitione manifestum erat, tabulas Cholestearini planities suas inter se admovisse ita, ut tabulae singulae speciem acuum induerent, quae radios circuli, ab ipsis constituti, efficerent. Hoc facile cuivis persuaderi poterat, si peripheriam agminum formatorum intueretur, ubi acus singulae, quae videbantur, longius discedebant. Ex positionibus enim diversis in quas res objecta redigi poterat, satis patuit, tabulas modo supra dicto vere inter se appropinquasse.

Tumor alter minor, cujus in prooemio mentionem feci, ex regione anuli inguinalis interni exentus erat, idemque collo attenuato insidens introrsum in cavum abdominis libere pertinuerat. Hic tumor sacculum praebebat membranaceum, 4,5" par. longum, 0,75" latum, undique peritoneaeo circumdatum. Ex quo sacculo, si patefactus erat, contenta prodibant, quae, quamvis ejusdem consistentia et indolis essent, atque contenta processus vermicularis, globulos tamen liberos, huic proprios, non exhibebant. Massa omnis inter se cohaerebat, et ita quidem, ut granula subtilissima, quae praesertim in centro sacculi inerant, haud ambigue perspicui possent. Hinc speciem omnino induerat massae illius, quae ipsa partem contentorum processus vermicularis constituabat. Jam nudis oculis ad tumoris basin versus limes strictior inter sacculum circumdantem et materiam eo contentam vix ullus conspectus est, atque re-

vera etiam ille non existit, id quod adhibito microscopio quam certissime demonstrari poterat. Si enim, sectione ad perpendicularum facta, segmentum ex tumoris pariete exsectum microscopio subjectum erat, exteriora versus tela conjunctiva confertissima in conspectum veniebat, introrsum fibrae telae conjunctivae fasciculatim discedebant, eoque modo lacunas formabant nunc minores nunc majores, quae substantia quadam hyalina, globulorum supra dictorum elementa continenti, repletae erant. Quo longius introrsum penetrabatur, eo magis fibrae singulae apparebant discedentes, quin etiam in centro tumoris fibrillis telae conjunctivae multipliciter inter se decussatis lacunae istae magnae manifesto animadverti poterant. Quamquam vero hae lacunae ubique fere massa illa gelatinosa erant repletae, nonnulla tamen reperiebantur intervalla, quae, pariete glabro intus oblecta, prorsus vacua erant. Notandum mihi est, idem hoc praeparatum, postquam aliquamdiu in alcohole situm fuerit, tum demum exploratum esse: unde igitur verisimiliter exorta sunt intervalla vacua, quae statu recenti haud dubie humore quodam repleta erant. Ad basin hujusce tumoris etiam situs erat sacculus minor, magnitudinis fere pisi, tenuis, membranaceus, qui eadem massa gelatinosa abundabat atque ope petioli subtilis, 4" longi, cum collo sacci majoris cohaerebat. Materia gelatinosa, quae in his tumoribus inerat, sub microscopio easdem exhibebat partes, atque materia illa, quam processus vermicularis continebat.

Analysis chemica substantiae gelatinosae haec edocuit:

Partes solidae mirum in modum minores apparebant, quam pro magna ejusdem massae consistentia. Centenae

partes substantiae recentis in 93,370 partibus aquae continebant tantummodo 4,630 partes residui sicci, ex 3,503 substantiae organicae atque 1,125 p. salium anorganicorum constantis. Hujus residui crant partes:

a) in aqua frigida solubiles 1,835 $\left\{ \begin{array}{l} 0,894 \text{ subst. organ.} \\ 0,941 \text{ salium fortiter alcalin.} \end{array} \right.$
 $\left\{ \begin{array}{l} 0,519 \text{ NaCl.} \\ 0,422 \text{ NaO cum copia exigua acidi phosphorici et Magnesia et calcariae phosphoricae, quibus substantiae albumini similes solvuntur.} \end{array} \right.$

b) in aqua calida solubiles 0,316 $\left\{ \begin{array}{l} 0,216 \text{ subst. org.} \\ 0,130 \text{ salium in aqua solubili, fortiter alcalinorum, sicut in a)} \end{array} \right.$

c) in aqua calida et frigida non solubiles, gelatinoso-turgidae, post coctionem non nisi leviter turbatae, ceteroquin non mutatae 2,449 $\left\{ \begin{array}{l} 2,393 \text{ subst. org.} \\ 0,054 \text{ Magnesia et Calcariae phosphoricae, in aqua non solubilis.} \end{array} \right.$

Residuum in aqua et frigida et calida solutum fortiter

alcaline reagebat, residuum in utraque aqua non solubile, pellucidum, gelatinosum, reactionem praebat paene neutralem. Quod posterius residuum, simulatque adhibito forti alcohole aqua ei detracta est, in fila contrahitur longa gelatinosa, quae vero, quamvis sub ipso calore 100° C. siccata, si aqua humectantur, protinus denuo ad volumen superius ejusdem consistentiae gelatinosae intumescunt. Haec substantia in acido acetico sicut in acidis aliis solvi non potest, at solvitur vero, si in alcalibus eam coxeris, nitrogenio abundat, sed sulphure caret, paullulumque adipis liberi continet, pariter ac solutio aquosa nonnihil saponis ex natro parati, et quidem circiter 4 p. C. si aquam amisit, vel 0,04 p. C. si recens est. Dignum est memoratu, in aquae solutione totam fere salium copiam cum exigua substantia organica inesse, in residuo autem gelatinoso non solubili cum maxima copia substantiae organicae (Muci) parvas tantum reliquias salium phosphoricorum in aqua non solubili reperiri posse.

Tumores supra descripti, si proprietates eorum et physicas et chemicas respexerimus, haud dubie nomine tumorum colloidium significandi nobis sunt. Quaeritur tantum, quatenam partes ad formandos tumores adjuverint, quibus a partibus eorum formatio profecta sit. Priusquam vero ad solvendam hanc quaestionem vertamur, necessarium utique videtur, sententias opinionesque proferre, quae recentiore tempore de origine tumorum colloidium editae sint.

Caput secundum.

De origine tumorum colloïdium.

Constat duas esse formas gravissimas, quibus indutis massa colloides novas formationes pathologicas in organismo constituat. Aut enim illa massa sub forma substantiae gelatinosae liberae in cavis vel normalibus vel cysticis occurrit, ac tum systides, quae dicuntur, colloides efficit: aut in parenchymate organorum variorum reperitur ibique fibris reticulisque diversis vel crassioribus vel subtilioribus percurrit: quae forma sub nomine tumoris gelatinosi alveolaris innotuit. Haec reticula, ex substantia telae conjunctivae composita, interdum cava efficiunt cystica, plane seclusa; interdum vero illorum lacunae multipliciter inter se concurrunt ita, ut massa gelatinosa eas explens facile ex lacuna altera in alteram prematur atque, si productum id pathologicum situm est in libera planitie, in ea ipsa deponi possit.

Sicut tela involvens et percurrens, ita ipsa quoque massa colloides speciem offert admodum variabilem. Modo enim substantiam efficit limpidam, non coloratam, modo coloris est helvoli vel cinerei atque aspectu suo gelatinam plus minusve consistentem refert, ita ut alias ad similitudinem albuminis ovi accedat, alias consistentiam corporis vitrei vel adeo lentis crystallinae adsequatur. Neque minus massa colloides, si ratione microscopica eam perquiras, quasdam praebet varietates; nonnumquam enim substantiam constituit fundamentalem plane hyalinam, in qua tantummodo adipis guttulae diversa multitudine sitae sunt;

nonnumquam vero nucleos, cellularum rudera, ipsas cellulas, crystallas Cholestarini continet, quae modo in substantia hyalina irregulariter dispersa, modo agminatim inter se disposita apparent.

Ut de ratione ea, qua fermentur tumores colloides, verum iudicium fiat, in his, quae sequuntur, sententias diversas, de evolutione duarum, ex quibus illi constant, partium gravissimarum propositas, breviter proferam; unde patebit, quatenus partes illae altera ex altera pendeant nec ne. Proinde quaerendum nobis erit, num genesis praeparatorum, de quibus agitur, vel ad unam vel ad alteram sententiarum, quae proditae sunt, referri possit.

Primum igitur evolutionem massae colloidis proprie sic dictae contemplerur.

Fuerunt priore tempore, qui massam colloidem co-spissationem esse simplicem exsudati serosi stauerent¹⁾, quippe qui partes fluidas resorberi, atque albumen cum salibus in solutione concentrata relinqui opinarentur. At hic praeter alias ea existit quaestio, quo modo tandem in hac massa conspissata exortum sit mucinum, quum in sanguine tamen ad id tempus reperiri non potuerit. Mucinum enim, si *Frerichs*²⁾ auctorem sequamur, exceptis iis casibus rarioribus, ubi materia gelatiniformis tantum ex albuminate natrico constat, in omnibus tumoribus colloïdibus invenitur. Ipse quoque *Virchow*³⁾ subdubitatur tumorem a se descriptum nomine humoris colloïdis significare, idque propterea,

1) *Vierardt*. Archiv für physiologische Heilkunde. 1832. Vol. XI. p. 884.

2) *Frerichs*. Ueber Gallert- oder Colloidgeschwülste. Göttingen 1847. p. 5.

3) *Virchow*. Archiv für pathol. Anatomie. Vol. V. Ueber ein zusammengesetztes gallertartiges Cystoid.

quod tumor ille, quem exploravit, licet omnia ei adhaerent signa externa massae colloidis, mucini tamen reactionem non ostendit.

Eadem de causa opinio eorum probari non posse videtur, qui mucinum statuunt⁴⁾ blastema cellularum epithelialium esse, quod, si secernatur nimium, ad formandam massam colloidem consumatur. At blastema tamen necesse est ex sanguine reddatur; neque intelligi posset, quo modo iis locis, quae cellulis epithelialibus carent, massa colloides exoriretur.

Sententia etiam viri cl. *Frerichs* ⁵⁾, qui massam colloidem eo oriri censet, quod cellulae epitheliales in sero alcalino, multum salis continenti, solvantur, non adeo firma ac stabilis videtur, ut iudicium severius sustineat; etenim si massa colloides re vera hoc modo exorta esset, necessario inde sequeretur, massam colloidem reperiri non debere nisi ubi cellulae epitheliales adsint vel adfuerint, et cystides recentiores serum, veteriores massam colloidem continere. Verumtamen secundum *Schranz* ⁶⁾ longe contraria existit ratio; nam cystides minores microscopicae massam colloidem, majores ac veteriores serum continent: unde statuendum potius est, massam colloidem in serum transire quam versa vice. Praeterea parietem interiorem cystidis serosae epithelii tam integro non obiectum reperires, quam quod plerumque occurrit.

In alia commentatione *Frerichs* sententiam profert. massam colloidem substantiis proteinis proximam atque eorum mutatione productam esse, quum ibi semper illa reperitur, ubi plasma sanguinis exsudatum in telam glutiniferam transformetur ⁷⁾. Quae sententia eo minus defendi posse videtur, quoniam secundum eam massa colloides inveniri deberet, ubicunque exsudatum e sanguine locum habuerit. Nam cujusvis exsudati fere vel major vel minor pars in telam gelatiniferam transformatur. Postea ad *Frerichsii* monographiam revertemur atque illum de massae colloidis in cellulis formatione disserere videbimus.

Bruch ⁸⁾ cum *Frerichs* consentit; nam ille quoque massam gelatiniformem ex exsudato albuminoso, fibrinoso transformata esse arbitratur, quamquam se ignorare concedit, quo tandem transformatio corporum proteினorum consistat. Differentias chemicas ille vir, aequae ac *Frerichs*, varios evolutionis gradus esse existimat.

Neque minus sententia *Virchowii* ⁹⁾, qui massam colloidem emollitione substantiae proteinae solidae formatam esse contendit, primo ad aspectum iisdem argumentis impugnari videtur, quibus duae sententiae superiores; at tamen postea nobis persuadebitur, a *Virchowio* etiam medium aliquod illatum esse, cui eam transformationem attribuat: unde res maxime mutatur.

Auctore *Rokitansky* ¹⁰⁾ elementa massae colloidis

4) *Vierordt*. Archiv für physiologische Heilkunde. 1852. Vol. XI. p. 894.

5) *Wagner*. Handwörterbuch der Physiologie. Art. Synovia.

6) *Vierordt*. Archiv für physiologische Heilkunde, 1852. p. 891.

7) *Frerichs*. Ueber Gallert- oder Colloidgeschwülste. Göttingen 1847. p. 3.

8) *Honle* und *Pfeuffer*. Zeitschrift für rationelle Medicin. Vol. VII. 1849. p. 385.

9) l. c. p. 224.

10) Zeitschrift der Gesellschaft der Wiener Aerzte. Vol. IX. 2. p. 104.

partim ex blastemate libero enascuntur, partim ex reticuli pariete procreant, appendices scilicet petiolatae, cystiformes trabis alicujus reticuli, quae in fine libero magis magisque in reticulum evolvuntur atque massam gelatinosam in se recipiunt.

Alio contra loco ¹¹⁾ vir ille commemorat, partem alveolarem reticulo minime adstrictam esse, nucleosque ad bullas structurae expertes vel „steriles“ vel „fertiles“ increseere, circum quas massa gelatinosa incapsulans stratiformis oriatur. Globulum colloidem idem ille eventum esse transformatae bullae simplicis stratiformis, structura carentis proficitur ¹²⁾, nec nisi metamorphosin formationis primitivae, individualis, separatae appellat. In massa gelatinosa, ut opinatur *Rokitansky*, strata et fibrae oriuntur; quapropter idem auctor omnes tumores fibrosos a tumoribus gelatinosis proficisci contendit et hos quidem ipsos in numero refert tumorum telae conjunctivae embryonalium, quorum substantiam gelatinosam telae conjunctivae gelatinosae embryonali, gelatinae Whartonianae parem judicat.

Ferriehs in monographia, quam de tumoribus gelatinosis conscripsit, massam colloidem a cellulis originem capere statuit. Copiosissime ille explicat formationem massae colloidis, qualis in glandula thyreoidea procedat. Sicut jam statu physiologico corpora ea, quae, in stromate fibroso glandulae thyreoideae disposita, omnino signa propria cellularum nucleorumque cellularium prae se ferunt, varia evolutionis stadia percurrunt, ita mutationes pathologicae gra-

du evolutionis posteriores, qui terminos physiologicos excedunt, efficere solent. Cellulae ad cystides magni voluminis increseunt, aut cystides minores inter se coalescunt, earumque parietes intergerini atrophia conficiuntur. Aliis in casibus cellula aliqua elementa continet endogena; nascuntur in iis novae propagines, rumpitur denique cellula matrix atque materiam contentam evacuat.

Huic descriptioni *Ecker* ¹³⁾ in universum adsentit. Bullae (*Drüsenbläschen*) glandulae thyreoideae in corpuscula abeunt, quae speciem praebent granorum *Coicis* coctorum ac turgidorum; haec posteriore incremento conflunt telamque conjunctivam dispellunt, unde totae partes parenchymatis in massam mollem, gelatinosam, pulvi similem conversae apparent; denique lobulus totus in cystidem massa illa repletam converti potest.

Primam causam formandae massae colloidis, ut testatur *Ecker*, cellulae inferunt atque nuclei, qui in bullis glandularibus in cellulas transformantur. Cellulae dilatantur, membrana cellularis minus fit perspicua, atque cellula speciem induit globuli gelatinosi; hinc patet, massam colloidem in cellulis formari solere. Dum igitur *Ecker* eatenus in rebus gravissimis cum *Ferriehs* consentit, aliam etiam statuit rationem, qua formatio massae colloidis succedat. Dicit enim ¹⁴⁾, extra cellulas sitas esse massas colloides parvas, subglobosas vel inaequales, quae speciem cellularum non praebant; nucleos cellulasque, quas haec massa contineat,

11) l. c. p. 109.

12) l. c. p. 111.

13) *Henle und Pfeufer. Zeitschrift für rationelle Medicin.* 1847. Vol. VI. p. 150 etc.

14) l. c. p. 154.

fortuito in ea inclusas esse atque posterius itidem in gelatinam se convertere. Evolutionem endogeneam nucleorum cellularumque, quam prius se observasse putat, hoc loco haud amplius probat.

Propter formationem cellularum matricum glandula thyreoidea, ut vult *Frerichs* 15), organis secretionis adnumeratur: hinc forsitan massa quoque colloides in secretorum numero referri possit. Quae ipsa sententia, quam qui sequuntur, massam colloidem secretum esse statuunt, a *Schrant* acerrime defenditur. Doleo sane, ipsam *Schrantii* de ea re commentationem mihi ad manus non fuisse, unde cogerer, ut brevem tantum ejus epitomen 16) operi meo adhiberem.

Schrant cellulam ac praesertim cellulam epitheliam instrumentum gravissimum omnis functionis secretoriae esse arbitrat 17). Momenta quidem permulta, quae exceptis cellulis ad explicandam illam functionem afferuntur, hoc efficere concedit, ut secretum modificetur, veruntamen partes proprias variorum secretorum cellulis epithelialibus vel glandularibus parari pro certo existimat. Cellulam enim, ut primum materiam secretionis formavit, dirumpitur et quaevis contenta evacuat, aut sensim sensimque membranam cellularem amittit atque in secreto jamjam parato diffluit. Qua in re omnino opus non est, cellulam unam cum aliis ad formandam membranam vel epithelium coaluisse; nam propriam indolem tum quoque retinet, quum separatim

existit. Jam vero *Schrant*, multis de ea re institutis disquisitionibus, verum esse reperit, massam colloidem in cellulis semper formari 18), neque solum in cellulis epithelialibus, sed in cellulis etiam fibrosis aliisque. Haec metamorphosis colloides, quam ille nuncupat, vario modo procedit. Aut enim cellula, evanescentibus simul membrana cellulari et nucleo, in globulum colloidem homogenum, aut, si consistit membrana, in cystidem colloidem mutatur: aut vero ex parte cellulae, nucleo scilicet vel contentis, globuli colloides oriuntur, qui tandem parietem cellularem perrumpunt. Et ibi quoque, ubi massa colloides amorphia apparet, *Schrant* eam a cellulis proficisci contendit 19). Cellulae enim colloides vel globuli, simulatque amplificato suo volumine inter se appropinquarunt, protinus invicem conflunt, neque ullum pristinae separationis jam exstat vestigium. Quo molliora sunt elementa colloidia, eo celerius inter se coalescunt. *Schrant* in universum igitur massam colloidem productum aliquod vitae cellularis, ac verum secretum esse arbitrat. Quamquam omnis haec theoria, quam auctor ille de formatione massae colloidis proposuit, plurimam certe sibi fidem vindicat, idque jam propterea, quod unus tantum fons istius formationis ab eo statuitur, tanto magis tamen dolendum est, quod non singuli quidem casus in medium prolatis sunt, de quibus accuratius quaeri ac judicari possit.

Virchow 20) tumorem describit cystoideum gelatinosum, qui, exteriora versus ex substantia solida hyalina con-

15) l. c. p. 80.

16) Der Ursprung des Colloid, nach dem Holländischen von *Schrant*, von Dr. *C. E. Weber*, in *Vierordt's Archiv*. 1852. XI. p. 883.

17) l. c. p. 892.

18) l. c. p. 902.

19) l. c. p. 908.

20) *Virchow*. *Archiv für pathologische Anatomie*. Vol. V. p. 216.

stans, introrsum accedente emollitione in massam diffiuit liquidam, in qua corpuscula pulci Coevis similia inveniuntur. Reactio substantiae posterioris mucinum, superioris proteini exhibet. Susceptis observationibus microscopicis, *Virchow* demonstrare conatur, causam transformationis sitam esse in corpusculis quae dicuntur telae conjunctivae, quae cellularum primitivarum residua, ideoque elementis instructa endogenis, succrescant atque substantiam intercellularem dimoveant²¹⁾. Sunt igitur hic quoque cellulae, etsi mutatae, quibus agentibus massa colloides procreatur: unde illud quod supra commemoravimus, eundem auctorem enuntiasse, massam colloidem emollitione substantiae proteinae solidae formari, satius intelligitur. —

Transcuntibus jam nobis ad considerandam alteram partem gravissimam tumorum colloidium, sc. ad explicandum reticulum, quo massa colloides continetur, duae potissimum de illius formatione sententiae diversae offeruntur.

Sunt enim, qui parietem cysticum — aut altero casu reticulum — ex cellularum pariete, qui massam gelatinosam circumcludat, recens formari censeant. Quae sententia praecipue a *Frerichs* defenditur, qui parietem cellularem, initio amorphum, ulteriore incremento fibrosum fieri atque crassitudinem 0,5—1^m attingere testatur²²⁾. Praeterea ille contendit, fibras in tumore gelatinoso alveolari obvias fibris telae conjunctivae longe crassiores esse, itemque fibras reperiri, quae granis fusiformibus densissime obsitae sint: unde nova fibrarum formatio satis perspicui possit²³⁾.

21) l. c. p. 237.

22) l. c. p. 29.

23) l. c. p. 63.

Rokitansky ipsos evolutionis processus, qui in reticulo obvii sunt, ab iis, qui in massa gelatinosa efficiuntur, prorsus remotos esse existimat²⁴⁾. Secundum ejus opinionem — siquidem illam ex multorum verborum minus usitatorum farragine recte intellexi — reticulum recens formatur, neque vero discedente fundamento solido; imo potius illud evolvitur in modum clavarum excrecentium, quae ex membrana hyalina constant atque cellulis nucleatis repletae sunt. Clavae ad sinuosas membranas adolescunt, lacunas induunt subrotundas, quae in caeva reticuli dilatantur; cellulae vero fundamenta praebent, ex quibus tela conjunctiva nascitur. Appendices petiolatae cystiformes, quae in superficiebus liberis crebro occurrunt, teste *Rokitansky* ex stromate prolongatae sunt; etenim trabes reticuli membranaceae, ut ait ille, in striam succrescunt laevigatam vel in funiculum teretem vel in sacculum, qui in fine libero rursus in reticulum evolvitur²⁵⁾. Nihiloverominus alio loco idem auctor fibras ex bipartitione massae gelatinosae oriri docet²⁶⁾.

Huic quidem sententiae, quae fundamentum fibrosum formationem novam esse statuit, vir cl. *Bruch* gravissimis verbis repugnat. Sed jam a priori quam maxime cavet, ne quis eum existimet totam massam reticuli alveolaris ab extensione telae conjunctivae normalis deduxisse²⁷⁾; quin potius magnam ejus partem adaucto sanguinis affluxu atque accedente nova formatione telae conjunctivae suboriri arbi-

24) l. c. p. 109.

25) l. c. p. 104.

26) l. c. p. 102—103.

27) l. c. p. 384.

tratur. Pleraque autem formationes cysticae, si illius iudicium sequamur, non pro formationibus propriis, sed tantum pro dilatatis, quae existunt, cavis telae conjunctivae et formatae (geformte) et non formatae (formlose Bindegewebe) habendae sunt. Cava enim expanduntur, telaque conjunctiva coarctatur, unde non solum densior fibrarum accumulatio et structura solidior majorum alveolorum, sed largior etiam, quae in profundo est, multitudo telae conjunctivae nec non massae gelatinosae ad superficiem excessio explicari potest.

Secundum *Eckeri* quoque sententiam crescentibus paulatim glandularum bullis tela conjunctiva comprimitur atque tegumentum spissius formatur²⁸⁾, dum membrana glandularis, si formam adeo excultissimam attingit, prorsus evanescere videtur²⁹⁾.

Quamquam vero *Schranz* cava plurima telae alveolaris ex cellulis oriri statuit, nihilomagi tamen originem parietum, qui cava illa constituunt, transformationi membranae cellularis attribuit. Si enim, ut ille ratiocinatur, in tela aliqua fibrosa globuli evolvuntur colloides, hinc fit, ut eadem tela protinus dimoveatur atque circa globulum colloidem in tegumentum fibrosum concreseat, cystisque secundaria inde formetur³⁰⁾.

Jam si breviter etiam respiciamus opiniones diversas, quas de origine tumorum colloidiarum proferre conati sumus, in universum fere eam sententiam quam certissime positam

28) l. c. p. 151.

29) l. c. p. 153.

30) l. c. p. 907.

esse videmus, quae massam colloidem cellulis jam praesentibus, sive epithelialibus et glandularibus, sive cellulis fibrosis (Zufazellen?), sive corpusculis telae conjunctivae originem debere statuit, etiamsi nonnulli auctores eandem originem non unicam esse existimant. Si *Rokitansky* refert, bullas clausas, ex quibus globuli colloides prodeant, recens exortas esse, huic rei minime tamen illud repugnat, quod recte censemus, ex cellulis quoque vel cystibus, quae jam existunt, ejusmodi formationes oriri posse.

Quod plurimi quidem auctores reticulum eodem tempore atque massam gelatinosam ex tela conjunctiva partim jam praesenti partim recens formata evolutum esse judicant, plerisque de causis nobis probabile videtur, idque ca igitur ratione, ut alteram reticuli partem ex tela conjunctiva normali, jamjam praesenti, constare, alteram aut ex cellularum parietibus proficisci, aut, sanguine largius affluente, novam omnino telae conjunctivae formationem provocari statuamus.

Quod autem ad conditiones attinet, quibus accedentibus processus tam abnormalis, quam qui in formatione tumoris colloidis reperitur, in cellulis appareat, vix ulla hujus rei explicandae nobis exstat ratio, cui assentire possumus; nam ipsa quoque sententia *Eckeri*³¹⁾, qui actionem resorptionis turbatam vasorum lymphaticorum, normali simul ex vasis sanguiferis secretionem, conditionem formationis colloidis esse judicat, nulla prorsus re probatur, nulliusque ergo pretii est.

31) l. c. p. 157.

Caput tertium.

De origine tumoris supra descripti.

Etiam si in libris, qui de hac re ad id tempus conscripti sunt, casus quosdam invenimus commemoratos esse, in quibus globuli colloides plane liberi sine ullo tegumento involventi existerent, nihilominus tamen tumor, de quo agitur, magni ac singularis est momenti, quum globuli ejus colloides liberi in cavo naturali secluso reperiantur. Nam producta pathologica, quorum *Virchow* mentionem fecit, eandem quidem imaginem externam, eademque signa propria interna praebebant, atque formationes novae, quas supra exposuimus; at eadem producta illa processu emollitionis in tumore primitus semisolido exorta erant, ibique corpuscula, quae formam granorum pulvis Cotcis habebant, in liquore quodam, juscule vini rubri consimili, suspensa inveniebantur. In tumore autem, qui a nobis describitur, de emollitione agi non potest; nam globuli colloides processum vermicularem omni ex parte aequaliter explent. In iis, quae sequuntur, originem producti pathologici recens formati explicare conabimur, ac deinde quaeremus, num illa ad unam vel ad alteram earum, quae propositae sunt, opinionum referri possit.

Sententia illa antiquior, quae massam colloidem exsudatum conspissatum esse statuit, si intentius eam inspexerimus, quam certissime nobis rejicienda erit. Omissis iis, quae contra hanc explicandi rationem jam antea prolatae sunt, vix sane intelligeretur, si illam sequeremur: quae

sit causa, unde formae regulares globosae efficiantur; neque magis connexus ille organicus, quem inter nonnullos saltem globulos atque parietem intestinalem esse animadvertimus, explicari potest. Itaque licet concludere, partes ipsius parietis intestinalis fundamenta formationis fuisse.

Primum quidem facile induci possumus, ut cellulae epitheliales, quae processum vermicularem intus obtegunt, globulis originem fecisse cogitemus; et profecto haec suspicio non omni argumento carere videtur, si quis indolem pellucidam, hyalinam cellularum epithelialium, quae in praeparato recenti etiam demonstrari poterant, speciemque nuclei parum perspicuam, qualis in casu nostro obvia erat, respexerit. Verumtamen si cellulae epitheliales ad formandos globulos re vera consumtae essent, haud dubie gradus quidam reperirentur, quibus alterae ad alteros transirent, qui vero in hoc tumore omnino desunt; neque magis ibidem globulorum cum pariete intestinali connexus ullo modo intelligi posset: unde cogimur, ut hanc quoque ejus rei explanationem rejiciamus.

Si igitur alias circumspeciamus partes, ex quibus globulorum originem pendere statuamus, protinus in folliculos solitarios vel lenticulares incidimus. Hos quidem ad formandos globulos colloides contulisse, primo jam ad aspectu conjectare licet, quum in processu vermiculari ipso, ut supra commemoravimus, ne ullum illorum vestigium reperiri potuerit, dum in tunica mucosa intestini crassi adhaerentis admodum erant perspicua. Fortasse quispiam contradixerit, expansione illa, quam membrana mucosa subire debuisset, ut eam dilatationem attingeret, quam processus vermicularis ostendit, folliculos amissos esse, aequae ac glandulas Lieber-

kuehniannas; attamen hac in re longe alia est ratio. Glandulae enim Lieberkuehniannae invaginationibus simplicibus membranae mucosae formantur, cum hac membrana unum idemque constituunt stratum, ergo membrana mucosa amplior est quam ambitus internus intestini. Hinc satis intelligi potest, quomodo processus vermicularis paulatim extendatur, invaginationes etiam membranae mucosae, ergo glandulas illas inde evanescere posse. Sed aliter se habet res in folliculis solitariis. Hi enim sacculos plane oclusos, intersita substantia taelae conjunctivae vel largiore vel parciore inter se disjunctos, in substantia membranae mucosae dispersos constituunt. Si haec substantia vi aliqua extenditur, haud sane intellexeris, quomodo ea re sacculi oclusi evanescere possint. Pressu quidem continuo nutritio partium organicarum omnino usque adeo turbari ac deminui potest, ut illae ipsae prorsus evanescant. Hoc autem in processu vermiculari, quem exploravimus, effici non potuisse, ex magna membranae muscularis hypertrophia, quae simul cum extensione illius processus suborta erat, quam luculentissime perspicere licet: unde manifestum est, hoc in casu dilatationem, quae dicitur, activam fuisse, de qua ageretur. Fieri igitur non potuit, ut folliculi solitarii pressu ad id redigerentur, ut evanescerent; quapropter necesse uti statuamus, eosdem illos alia ratione esse consumtos; quodsi jure fit, non possumus non arbitrari, ad procreandos, qui in processu vermiculari occurrunt, globulos colloides eos consumtos esse.

Si vero quaestionem nobis proponamus, qua tandem ratione folliculi solitarii adeo irregularem in modum commutari atque in cavum intestinale pervenire poterint, ante

omnia necesse est texturam glandularum solitariorum accuratius perscrutemur. Folliculi solitarii sacculos exhibent oclusos, qui, glandulis Lieberkuehniannis interjecti, plurimi in processu vermiculari dispersim siti sunt atque nudis jam oculis conspici possunt. Membrana mucosa, villis nudata, supra folliculos depressionem efficit catino similem, unde fit, ut folliculi a cavo intestinali strato pertenui taelae conjunctivae tunicae mucosae sejungantur³²⁾. Si ejusmodi folliculum exsecemus, quod modico labore contingit, eumque microscopio subjiciamus, pondus tenerae laminae tegentis jam sufficit, ut tegumentum destruat atque contenta exprimantur. Tegumentum membrana, quae expers est structurae, constituitur, materia contenta ex corpusculis constat rotundis, oblongis, interdum subangulatis diametri fere 0,003^m, quae acri linea terminantur atque plura intus granula continent, ex quibus plerumque unum, nonnumquam duo prae ceteris perspicue cernuntur. Agente acido acetico corpuscula illa nihil paene mutationis capiunt, nisi quod paululum tantum corrugantur. Satis igitur causae est, quod corpuscula nucleos cellulares esse existimemus.

His nucleis elementa, quibus formatio massae colloidis efficiatur, significata sunt, si quidem observationes, quas *Ecker* et *Frerichs* de origine tumoris colloidis glandulae thyreoideae ex ejusdem cellulis et bullis oclusis instituerunt, veras esse confitemur. Accedentibus igitur conditionibus, quae quidem nos adhuc latent, ex metamorphosi horum nucleorum massa colloides in folliculis solitariis

32) *Koelliker*. *Mikroskopische Anatomie*. Leipzig 1852. Vol. II. p. 193. Fig. 242.

procedit. Formatur enim circa nucleos membrana cellularis; materia cellulis contenta in massam convertitur colloidem, quae membranam expandit eoque tandem redigit, ut evanescat. Formatio endogena nucleorum cellularumque interea magis magisque progreditur, unde patet. massam colloidem etiamtum nucleos singulos cellularumque reliquias inclusas habere. Nimirum eo incremento paries folliculi solitarii magnopere etiam extenditur, qui ipse hac re cogitur, ut viam sibi aperiat, idque ad eam partem, ubi quam minime ei resistatur. Exteriora versus folliculus ille strato musculari solido hypertrophico limitatur, introrsum vero, interjacentem membranam mucosam tenui, quae extensione magis etiam extenuata est, a cavo intestinali sejungitur: unde facile intelligi potest, ulteriore dilatatione folliculum solitarium in cavum intestinale promoveri debere. Hinc necesse est, folliculus membranam mucosam, quae eum involvit, prae se propellat, quo fit, ut haec denique totum illum sub capsulae forma circumcludat. Progrediente magis incremento massae colloidis folliculi solitarii amplificati altius in cavum intestinale penetrant atque integumentum extenuatum sub petioli forma secum attrahunt. Petiolus tandem solvitur globulique colloidales in cavum intestinale libere illabuntur, quum tegumentum folliculi primitivum, quod paulo tantum majore resistendi vi dignoscitur, progrediente incremento in massam contentis colloïdibus similem transformetur.

Hinc igitur simplici ac naturali ratione formatio massae colloidis mihi explicari posse videtur. Invenimus globulos alios, qui cum pariete intestinali etiam in connexu quodam organico versantur, alios vero, passim in cavo jacentes, pe-

tiolo tenui instructos, jamjam ex fundo evolutionis suae solutos, alios denique omnino liberos. Si petiolus et stratum extremum jam non elementa membranae mucosae primitivae exhibeant, hoc nihil est, cur miremur. Nam facile intelligitur, pressu perpetuo crescente elementa illa in statum atrophicum redacta esse ac prorsus denique evanuisse, vel fieri etiam potuisse, ut tegumentum in processu formationis colloïdis simul mutaretur. Verumtamen praetereunda non est quaedam difficultas, quae huic explicationi obsistere videtur. Si enim unusquisque ex globulis colloïdibus liberis, quos reperimus, re vera folliculo solitarii processus vermicularis responderet, hinc utique sequeretur, numerum globulorum longe minorem esse debuisse, neque sexcentos eorum cavum processus vermicularis explere potuisse; nam copia folliculorum solitariorum in hac intestini parte, si globulorum liberorum respicias multitudinem, longe parcius est, quippe quae numerum 50 vix excedat. Omnino quidem, si jam concessum est, massam colloidem ex cellulis nucleisque cellularibus luxuriantibus oriri, copia largior eorum elementorum, quae in omnibus folliculis solitariis insunt, fontem uberrimum suppeditaret, ex quo globuli colloidales liberi prodirent; ac sane cogitari posset, folliculi parietem, simulatque crescente materia contenta eo denique redactus sit, ut dirumpatur, eandem illam, i. e. globulos colloidales in cavum intestinale effundere. Sed huic quoque opinioni, quominus sine ulla dubitatione comprobetur, illud aliquatenus repugnat, quod gradum quemlibet in hoc evolutionis progressu re vera nullum demonstrare, neque folliculos amplificados, globulis colloïdibus liberis repletos, in pariete processus vermicularis ullos reperire possumus. At huic rei

sane id contradici potest, illum evolutionis progressum ad finem jamjam pervenisse et omnino desisse, unde omnes folliculi essent consumti atque intestinum usque ad recipiendos quosvis, qui ex iis nascerentur, globulos extensum esset.

Quamvis ex iis, quae hucusque exposuimus, de origine globulorum colloidiarum liberorum sententiam certiore, etsi non omnino tamen ex parte munitam, nobis comparare conati simus, nihilominus tamen hoc profecimus, ut cognitionem totius producti pathologici adipisceremur. Nam, ut supra vidimus, in processu vermiculari massa exstabat colloides, quae, etsi ex granulis composita erat subtilissimis, haud dubie tamen inter se cohaerebat, atque intra membranam mucosam et subter eandem sese continuabat. Quum nullo argumento firmiore statuere queamus, massam illam formatam folliculis solitariis provocatam esse, necesse simul est aperte fateamur, ab eo maxime abstinendum esse nobis videri, ne de ejusdem massae origine certum aliquod iudicium faciamus, quoniam haec pars nonnullis demum diebus, postquam in alcoholo servatum est praeparatum pathologicum, explorari poterat: quapropter, etiamsi massam colloidem minus quam alias substantias organicas semisolidas vi alcoholis mutari cognovimus, procul certe absumus, ut praeparatum vetus cum recenti congruere testemur. Si vero mihi liceat, nulla adhuc suscepta disquisitione subtiliore, quid de ea re sentiam, in medium proferre, certissimis verbis sententiam *Virchowii* me probare fateor, qui sedem formationis colloidis in corpusculis telae conjunctivae esse statuit. Secundum hanc sententiam corpuscula telae conjunctivae in membrana mucosa increscunt, massaque colloidi

implentur, atque telam conjunctivam intermediam hunc in modum dispellunt, ut in rete mutetur, cujus fila in partes diversissimas massam illam percurrunt. Massa colloides, quum in profundo recens semper formetur et cumulatus succrescat, massam priorem ex retis lacuna altera in alteram magis et magis usque adeo propellit, quoad haec, ad extremum promota, in superficie tandem libere deponatur. Quae theoria de formatione massae colloidis proposita, jam idcirco ceteris omnibus praefenda est, quod non repugnat illi sententiae, a nobis supra probatae, quae massam colloidem a cellulis proficisci demonstrat. Nam, si testes sunt disquisitiones a *Virchow* institutae, dubitari amplius non potest, quin corpuscula telae conjunctivae indolem naturamque cellularum habeant.

Quibus autem accedentibus conditionibus vis illa vitiosa, quae productrix est massae colloidis, in his cellulis oriatur, hac de re is quoque casus, de quo nunc agitur, nihil nos docuit, imo ne suspicionem ullam praebuit. Fortasse adductum se quispiam putet, ut, habita ejus rei ratione, vim illam vitiosam inde exortam esse statuatur, quod processus vermicularis a reliquis intestinis sejungatur. Quoniam vero, si eam rem diligentius perquirere vellem, nihil sane aliud assequeretur, nisi ut iudicaretur, utrum ea seunctio pro causa an pro effectu formationis massae colloidis habenda sit, an omnino cum illa in nexu quodam causali consistat, et quoniam nihilo magis inde omnis evolutionis progressus perspiceretur, lectoribus hujusmodi disquisitionem inutilem non propositurus sum.

Similis fere explicatio, atque illa, quam de massa colloidi continua processus vermicularis exhibuimus, tradi

etiam poterit de origine tumoris annulo inguinali insidentis, qui ipse tum demum, postquam sub alcohole aliquamdiu positus fuit, a nobis exploratus est. Dolendum mihi est, commentationem *Virchowii*, in qua multae exstant de genesi massae colloidis explicationes gravissimae, in principio disquisitionis, a me susceptae, nondum ad nos pervenisse, ideoque ad manus non fuisse, idque eo magis dolco, quod in explorando hoc producto pathologico, qualis erat statu recenti, fieri tamen potuit, ut eventus quosdam nanciscerer, unde certius de hac re iudicium efficeretur.



Theses.

1. Partus, qui decem mensibus post graviditatis initium editur, pro legali haberi potest.
 2. Hermaphroditi non exstant.
 3. Emissio seminis, in mortuo inventa, non est signum suspensionis.
 4. Ophthalmoblenorrhoea pro morbo idiopathico habenda non est.
 5. Medicamentum in corpore aegroti non aliam exhibet vim atque in sano.
 6. In morbis sanandis fides in medicum omnibus medicamentis efficacior est.
-